Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

hyerlinorum luculenter ac prudenter contexuit. Justinus etiam nostra quam philosophorum scientia
plenus ad antoninum apollogeticum pro nostra religione scribens monuit. Scribit etiam de
adriano cesare quod pro christianis huiusmodi litteras miserit. Accepi litteras ad me scriptas a de-
cessore tuo Sereno graniano clarissimo uiro. et non placet mihi relationem silen-
tio preterire ne et innoxii perturbentur et calumpniatoribus latrocinandi tribuatur occa-
sio. Itaque si euidenter prouinciales huic peticioni sue adesse ualent aduersus christianos
ut pro tribunali eos in aliquo arguant. hoc eis exequi non prohibeo. precibus autem in hoc solis
et acclamationibus eis uti non permitto. Et enim multo equius est si quis uolet accusare con-
gnoscere de obiectis. Si quis igitur accusat et probat aduersum leges quicquam agere memora-
tos homines pro merito peccatorum etiam supplicia statues. Illud mehercule magnopere
curabis. ut si quis calumpnie gratia quemquam postulauerit reum in hec pro sui nequicia sup-
pliciis seuerioribus V I N D I C E S. xxviiii.

Anno ab incarnatione domini c.xxxviiii. adrianus xxi. principatus sui anno diem obiit.
Cui antoninus cognomento pius xiiii ab augusto in regnum successit. Qui adeo tran-
quille r. p. gubernauit ut pater patrie pius uocaretur. Huius diebus Hermes librum pa-
storis scripsit. Anno imperii eius i. telesphorus xi annis sacerdotio functus uita de-
cedit. Cui yginus succedit. Huius diebus Valentinus et cerdon quem postea marcion secu-
tus est heresiarche fuere. Huius cerdonis dogma fuit quod is qui in lege et prophetis pre-
dicatur est deus. non esset ipse pater domini nostri ihesu christi. quia ille quidem notus esset hic autem ig-
notus. ille iustus hic autem bonus. Eo tempore Justinus philosophus cuius supra mentionem feci
de neapoli palestine nobili prosapia oriundus inter cetera preclara opera apol-
logeticum imperatori de fide nostra scripsit eumque benignum christianis fecit. Unde pro hiis qui in
asia paciebantur iniuriam tale scriptum tunc promulgauit. Imperator cesar marcus aureli-
us antoninus augustus armenicus pontifex maximus. tribunicie potestatis quindecies.
consul tercio. uniuersis simul plebibus asie salutem. Ego quidem non ambigo etiam ip-
sis diis cure esse ne quis noxius lateat. Multo enim magis ipsis conuenit punire eos
qui se immolare nolunt quam uobis. Et pro pauca. Vos autem ceteros quidem deos negligitis.
cultum uero immortalis dei quem christiani colunt expellitis. Sed patrem ego secutus
sententiam pari moderatione statuo. quod si quis persistit huiuscemodi hominibus absque ul-
lo crimine mouere negocia. ille quidem qui delatus fuerit nomine fuerit absoluatur etiam si probe-
tur is esse quod ei obicitur christianus. Is autem qui eum obtendit reus pene ipsius quam obiecit ex-
istat. Ygino successit pyus. Post eumenium de alexandrie marcus sedit. Pyus anaceto